



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

**Haunold, Christoph**

**Ingolstadii, 1678**

Contr. II. An Species impressæ, concurrentes ad actum Fidei, sint  
supernaturales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

quod illius Conclusiones non nitantur immediatè Veracitate & Revelatione Dei, sed re revelatà. Vtutem autem Habitus Fidei concurrat immediatè cum habitu Theologia ad Conclusionem Theologicam, quatenus hæc etiam attingit objectum fidei in suis præmissis, huc non pertinet, & libenter id concedimus.

354. Obijciunt s. Angeli in via habuerunt Fidem ejusdem rationis tum nostro habitu Fidei: atqui in Angelis non fuit Fides formaliter Discursiva: ergo nec est in nobis. s. Transeat major, distingo minorem. Non fuit formaliter discursiva remotè, & quantum erat ex parte habitus, nego, proximè, impedimento proveniente à natura & nobilitate subjecti, cui convenit nobilior modus operandi, transeat. Dico. Transeat. quia non desunt Theologi qui censent, Angelos etiam potuisse circa supernaturalia discursum formalem instituere.

## CAPVT VII.

### DE FIDEI, ALIORVMQVE AD IPSAM CONCVRRENTIVM SVPERNATVRALITATE.

#### CONTROVERSIA I.

*An Actus Fidei sit supernaturalis quoad substantiam.*

355. Actum Fidei esse aliquo modo supernaturalem, indubitatum est apud Theologos, & propugnatum à Patribus contra Pelagium, non quidem sub termino Supernaturalitatis, sed sub alijs æquivalentibus, ut, doni indebiti. Oppositum videtur clarè damnatum in Bulla Pij V. & Gregorij XIII, contra propositionem 24. Michaëlis Baij, quæ hæc erat. *Ab absurda est sententia eorum, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum coleret.* Controversia est, utrum sit supernaturalis intrinsecè & quoad substantiam, an solùm extrinsecè quoad modum. Hoc posterius dixerunt Cajetanus, Paludanus, Capreolus, Guilielmus Paris: Durandus, Okam, Gabriel, Almainus. Contra quos

Dicendum est, esse Supernaturalem quoad substantiam. Probari solet pluribus Scripturæ locis, ubi Fides vocatur Donum Dei, & quod sine dono non sumus sufficientes ad credendum ut oportet: qui textus sincere ponderati, suadent supernaturalitatem quoad substantiam. Dicitur enim Fides esse Donum, quo nos Pater Cælestis ad se trahit. Jo. 6. & sine quo nemo venit ad Deum, nec illi placere potest. Unde colligitur, hoc donum dari tanquam Medium maximè & primario necessarium & ordinans ad Vitæ æternæ consecutionem, in quo sup. diximus consistere Supernaturalitatem Theologicam & quoad substantiam.

356. Probat 2. Actus Fidei procedit connaturaliter ex habitu per se infuso & supernaturali, ut infra probabitur: ergo est supernaturalis quoad substantiam. Conseq. probatur. Nam

Habitus supernaturales sunt velut potentie indicatæ ad eliciendos Actus, & elevantes naturam ad operationes nobiliores illis, quas potest viribus proprijs elicere. Hinc

357. Probat 3. Quia ad statum Supernaturalem & Filij adoptivi, non solùm pertinet, posse supernaturaliter operari per Voluntatem, sed etiam per intellectum, eliciendo operationes proprias filij Dei, & quæ sint fructus participationis naturæ divinæ, adeoque radicentur in Gratia sanctificante: ergo sunt supernaturales quoad substantiam, non minùs quàm ipsa Visio Beata, quæ Fidei succedit.

#### CONTROVERSIA II.

*An Species impressæ, concurrentes ad Actum Fidei, sint supernaturales.*

358. Cum Habitus Fidei sit ex se indifferens ad varia objecta fidei, & determinatio credendi vnum potius quàm aliud, fieri debeat ab objecto, deducitur, ad producendum Actum Fidei concurrere præter Habitum etiam Species, quæ gerant vices objecti. De his speciebus est controversia, an sint quoad substantiam supernaturales necne. Affirmant Granadus & Hurtadus.

359. Dico tamen, ad actum supernaturalem eliciendum sufficere Species Naturales, beneficio sensuum acquisitas. Ita Suarez, Vasquez, Conink, Lugo, Ripalda, alij RR. communiter.

Probo. Entia, præsertim Supernaturalia, non sunt multiplicanda, nisi vel virgeat inevitabilis necessitas, vel valde serviant ad facilius percipiendas

E e e

cupiendas alias veritates, nec pariant inconvenientia capiti difficiliora. Prioris generis entia admittuntur in philosophia ad tollendam indifferentiam extremorum ad effectum formalem: posterioris generis exemplum est, Quantitas, realiter distincta à materia, subiectum commune & immediatum accidentium: atqui species supernaturales, contradistinctae ab habitu infuso fidei, neque probantur vllà inevitabili necessitate, nec serviunt ad facilitandas alias veritates, sed potius generant incommoda non levia: ergo rectius negantur, & totus concursus refunditur in species naturales. Minoris primum & secundum membrum patebit ex solutione objectionum: tertium membrum est probandum.

360. Primum ergo incommodum & difficultas, quam patitur sententia contraria, est, quod non possit commode assignari causa productiva illarum specierum supernaturalium. Et quidem fatentur adversarij, eas non produci nec mediata nec immediate ab objecto. Non quidem immediate: sic enim essent species propriae, causaréque actum intuitivum & evidentem, qualis non est actus fidei. Non etiam mediata, v. g. mediantibus sensationibus, aut primis apprehensionibus, sic enim causa proxima specierum esset entitas naturalis, quod adversarij non possunt concedere, nam ob hanc præcipuè improportionem volunt species debere esse supernaturales. Restaret ergo ut producerentur à solo Deo: hoc autem non caret incommodo & difficultate, quam ponderavit Lugo, & approbat Ripalda. Si enim Deus immediate producit illas species supernaturales, enervatur necessitas prædicationis & Magisterij Evangelici, quia prædicationis necessitas (ut colligitur ex S. Paulo, dicente: quomodo credent ei quem non audierunt) vnicè in eo sita est, ut in auditorum mentibus generentur species, vel jam antè genitæ excitentur ad rectè apprehendenda Mysteria, & ad formandum iudicium credibilitatis: Si ergo hæc species, quæ sunt naturales, nihil prorsus concurrunt, sed aliæ occultè infusæ, tunc, inquit Lugo, prædicationis est apparentia sola phantastica, ad hoc solum serviens, ut tegatur operatio Dei, infundentis species sine concursu prædicationis. Vnde non sine iactantia dixisset Paulus: *Ego plantavi: per Evangelium ego vos genui.* perinde ac si quis diceret, se hanc arborem plantasse, cum tamen arbor non creverit ex semine ab ipso facto, sed quod alius in eodem loco occultè supposuit. Species autem sunt semen objecti ad generandas cognitiones: ergo si species à Paulo per prædicationem genitæ non concurrerant ad actum fidei, quomodo fidem ipse plantavit?

361. DICES, ideo Paulum plantasse, quia medijs speciebus naturalibus produxit apprehensiones naturales, à quibus determinabatur Deus ad producendas species supernaturales. Sed contra. Si species deberent esse supernaturales, multò magis apprehensiones præcedentes ipsum Iudicium deberent esse supernaturales, nam etiam

qui negant species esse supernaturales, adhuc concedunt apprehensiones esse supernaturales. Si species supernaturales servientes ad iudicium, etiam servient ad præviam apprehensionem: unde deberent ante apprehensionem infundi. Denique apprehensiones non determinant ad illas species, nisi quas ipsæ post se relinquunt: ita autem sunt naturales.

362. Secundum incommodum est assignando tempore, vel signo nature, quo species illæ supernaturales producuntur à Deo: imò enim assignando nec adversarij conveniunt. Guadus docet eas infundi simul, vel cum habitu fidei, vel quando quis actu credit; & quidem puvulus vult infundi vna cum habitu fidei, alius verò, quando primà vice credunt; vnde inter, in infidelibus qui nunquam crediderunt, dari has species, dari verò in fidelibus qui crediderunt. Vnde, nisi fallor, concederet Guadus, has species deperdi per peccatum infidelitatis, non minùs quam deperditur ipse habitus fidei. Hurtadus vult eas infundi pro significatione posteriore, quando quis elicit actum piam affectionem. Hæc tamen omnia difficulter intelliguntur. Non imprimis ponere in infantibus species omnium objectorum credibilem, aliud non est, inquit Lugo, quam ponere scientiam infusam, non eodem claram, sed obscuram omnium Mysteriorum, quod est contra mentem Theologorum. Deinde si talis infans veniret ad ætatem adultam, posset Mysteria cognoscere absque vlla propositione externa; quando enim intellectus habuit aliquid de species, possunt illæ excitari independentè sensibus externis, ut patet in somno: solum autem in ordine ad acquirendas species pendet intellectus à sensibus. Sequeretur item, infantem inde factum adultum, eadem claritate omnia mysterijs assensurum esse, quia haberet species equalis claritatis.

363. Loquendo jam de adulto, cui dicitur infundi species, quando actu credit: Vel infunduntur pro posteriori nature, vel pro priori: si pro posteriori, non poterunt concurrere ad primum actum fidei: si ergo ad primum actum sufficiunt species naturales, quid nunc etiam ad certum? Si pro priori, tunc infunderent etiam non credat, quia omnia tenentia se ex parte actus primi proximi, & quæ sunt coniungibilia cum negotio actus secundi, existunt, sive sequatur sive non sequatur actus. Deberent etiam illæ species existere ante piam affectionem, quia jam antecederet experitur adultus in se potentiam credendi, cum habeat iudicium practicum.

364. Obijciunt 1. Causa supernaturalis, præsertim adæquata, producit effectum supernaturalem: sed locutio Dei est causa Supernaturalis: ergo producit speciem supernaturalem illam, tanquam objecti, vel certe exigit ut Deus illam producat. 2. Neque Locutionem Dei esse adæquatè supernaturalem, neque quoad id quod est supernaturale illius, producere speciem vllam, nec

## CONTROVERSIA III.

*An Iudicium Credibilitatis sit supernaturale.*

nec Deum loco illius, quia cognoscitur abstractivè, & per species alienas, potestque etiam actum naturalem attingi, prout attingeretur ab eo, qui negaret esse locutionem Dei.

365. Obijciunt 2. Ad Actum Fidei præter intellectum debet concurrere objectum per species. ergo sicut intellectus requirit elevationem per habitum supernaturalem, & non sufficeret habitus naturalis, ita objectum requirit elevationem per Species Supernaturales, nec sufficienter Naturales. *Re.* Negando consequentiam. Sufficit enim Habitus Fidei Supernaturalis, ut simul & intellectus & species naturales sint elevata ad actum supernaturalem producendum. Immo si comparatio rectè instituitur, dicendum erit, species naturales elevari. sicut enim intellectus elevatur, ut per suam entitatem concurrat ad actum supernaturalem circa objectum quod alioquin cognoscitur actu merè naturali, ita species naturalis elevaritur, ut concurrat ad actum supernaturalem, alioquin concursura ad actum merè naturalem.

366. Obijciunt 3. Species & Habitus debent esse ejusdem ordinis, cum ex utroque constituitur unum principium integrum actus. *Re.* Cum potentia vitalis non debeat esse ejusdem ordinis cum habitu, cur deberet esse species vicaria objecti, quandoquidem modus concurrendi objecti est ignobilior quam modus concurrendi principij vitalis. Ratio à priori est, quia species sunt Vicariæ objecti: ergo non est necesse, ut quando objectum est inferioris ordinis quam sit potentia, species sit altioris ordinis quam sit objectum. Defacto quidem quando cognoscimus objectum materiale, concurrunt species spirituales, sed hoc ideo fit, quia intellectus est spiritualis, & consequenter species, quam in se tanquam subiecto adequato producit, & abstrahit à phantasmate, debet esse spiritualis, quia materiale non potest recipi in spirituali, tanquam subiecto adequato.

367. Obijciunt 4. Quando Conclusio est supernaturalis, etiam præmissæ ambæ debent esse supernaturales: atqui non est major ratio de his atque de speciebus concurrentibus ad actum supernaturalem: ergo &c. *Re.* Negando majorem. Potest enim Conclusio Theologica esse supernaturalis, etiamsi una præmissa sit naturalis, hæc enim sufficienter elevatur ab altera ad inferendam Conclusionem.

368. Obijciunt 5. Scientia infusa Christi exigit species supernaturales: ergo & habitus fidei. *Re.* Nego paritatem: Scientia infusa Christi cognoscit quidditative futura & possibilia: horum autem objectorum tali modo cognoscendorum non dantur species naturales, sicut dantur species naturales ad modum cognoscendi qui reperitur in actibus fidei. Hinc est, quod in homine docto clariore sint actus fidei, quam in indocto, quia habet species clariore.

369. Duplex est distinguendum Iudicium Credibilitatis, aliud speculativum, aliud Practicum, & proximè dirigens actum; hoc est piam affectionem, hoc tamen non est ita intelligendum, quasi semper duo hujusmodi iudicia realiter distincta intercedere debeant, satis est, quod intervenire possint. Iudicium speculativum iudicat, objectum esse dignum creditu. Iudicium practicum, proximè dirigens actum, dicit, honestum & obligatorium esse, credere. & de hoc procedit questio.

370. DICO, hoc Iudicium defacto semper esse supernaturale quoad substantiam. Probat. Homo cognoscens honestatem credendi, potest elicere actum voluntatis supernaturalem & meritum: ergo cognitio præcedens debet esse supernaturalis. Probat. Consequentia. Cognitio præcedens actum appetitivum debet esse ejusdem rationis cujus est appetitus. ergo si actus voluntatis est supernaturalis, etiam cognitio præcedens debet esse supernaturalis. Probat. antecedens. sicut potentia cognoscitiva est velut radix potentiae volitivæ, ita cognitio est quasi radix appetitionis: unde sicut in nullo ente ponimus potentiam appetitivam alicujus ordinis v.g. spirituales, quin ibidem ponamus potentiam cognoscitivam ejusdem ordinis, quia radix non debet esse inferioris ordinis, ita pariter non debet poni actus potentiae cognoscitivæ, quin procedat ex cognitione ejusdem ordinis: potentia enim dantur propter actus.

371. Obijciunt 1. Auctoritatem Patrum, asserentium, fidem esse initium justificationis, meritum, & totius vitæ spiritualis: sed hoc non esset verum, si ante fidem daretur in intellectu actus supernaturalis; ille enim actus non esset actus fidei, nec ab habitu fidei procedens: ergo non fides, sed ille actus esset initium totius vitæ supernaturalis. *Re.* SS. Patres nomine fidei complexos esse omnes illos actus, qui in ordine supernaturali requiruntur ad actum fidei antonomastice sumptum, & sic etiam complexi sunt actum piam affectionis, & iudicium credibilitatis præcedens.

372. Obijciunt 2. Ille actus non est supernaturalis, cujus objectum non est supernaturale: sed objectum Iudicii credibilitatis non est supernaturale: ergo, &c. *Re.* Objectum Iudicii credibilitatis esse illud ipsum, quod est objectum piam affectionis, sicut in alijs virtutibus idem est objectum dictaminis, & actus voluntatis qui dirigitur. Cum ergo pia affectio habeat objectum supernaturale, nempe honestatem residentem in actu quo credo propter revelationem supernaturalem, & rerum supernaturalium, idem de objecto Iudicii credibilitatis dicendum erit.